

.lxviii. ITEM ALIA .

VIDete fratres karissimi qualem caritatem dedit nobis pater . ut filii  
dei nominemur et sumus . et cum apparuerit similes ei erimus .  
quoniam uidebimus eum secuti est . Omnes autem qui facimus iustitiam  
ex deo . per baptismum primitus et per fidem rectam amatores  
ipsius esse . debemus . quia amor dei uita est aeterna . In  
die enim iudicii uidebimus eum cum fiducia bonorum operum ;  
et similes ei erimus ; non diuinitate sed aeternitate in gloria  
sua ; quia cum angelis eius uidebimus eum uenientem in cor  
pore . quo passus est propter peccata nostra . Qui ergo habet  
hanc spem in eo . sanctificet semetipsum sicut et ille sanctus est .  
Primum quidem per gratiam baptismatis et opera fidei unusquisque  
sanctificatur ; deinde per penitentiam . Deus autem natura sanctus est .  
a quo homines per gratiam sanctificantur . quoniam ipse apparuit  
in carne ut peccata nostra tolleret . et tamen peccatum in eo  
non est sicut iohannes ait . Ecce agnus dei ecce qui tollit  
peccata mundi . Non in se accipiendo . sed a nobis aufe  
rendo mori solus illustrantis tenebras . et ipse a tenebris  
non fuscatur . sed tenebrę ab eius lumine fugantur .  
Ita et diabolus ex gentilitatis errore cum multitudine  
peccatorum fugantur a christo ueniente in hunc mundum .  
qui solus absque peccato est de spiritu sancto in uirginali utero  
conceptus . de quo pater dixit . Ego hodie genui te . Postu  
la a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam . et posses  
sionem tuam terminos terrę . Ideo dicitur rex regum  
et dominus dominantium . quia omnis qui in eo manet pec  
care non potest . In christo siquidem manet . qui eum mun  
do corde conspicit . Sicut in euangelio scriptum est .

/142r/ Beati mundo corde quoniam ipsi deum uidebunt . De quibus psalmista

ait . Beati qui custodiunt iudicium . et faciunt iustitiam  
in omni tempore . Et iterum . Beati qui timent dominum quiambu  
lant in uiis eius . Hęc nobis prestare dignetur saluator  
mundi . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula  
seculorum amen .